



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi  
Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

Radius Puritatis Et Munditiæ Cordis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

VEN. Præful Arnestus, ut pridem probavi, & jam in divinitatis conspectum admissus, quid aliud agat, quam quod Deus est intueri? Ut Aquila pulli ad Solem, Matris ungue suspensi, contemplatur: Speculi natura est repræsentare; & beatæ animæ, DEVM intelligere & amare.

## RADIUS PURITATIS ET MUNDITIÆ CORDIS.

*Speculum  
Conscientia  
nostra est,*

*Apud Malo-  
natum in C. 5.  
Matth.*

Corpora quæ lœvia & polita sunt, rerum Creatarum effigies exhibent, at animus purus & innocens Creatoris imaginem optimè reddit. Non putandum est animum nostrum oculis carere: & quamvis careret, corde tamen *DEVS* videtur, ut ex hac beatitudine Evangelica argumentatur *Augustinus*. Purus & diuinus animus sit oportet, qui ad DEVM contemplandum cupit ascendere, nam Deus non nisi à simili videtur. *DEVS totus est animus, totus oculus, totus animi, totus sui;* nihil in eo nisi radiosum, nihil illustre reperies. Et quia videretur cum lumine, ad recipiendas divinas imagines necessaria est puritas cordis; & intellectus & voluntas gratiâ poliuntur, ut lumen recipient. Sinè nævo, sinè macula speculum facimus; cur in præparanda ad Visionem Dei anima sumus segniores? innubis semper in Conscientia, & virgineus sit dies. Animus est ut pupilla, quæ nunquam tangitur, nisi lœdatur. Speculum ideo videt, quia purum, lœve, & mundum est. Non dubito, ut vulneribus corpora, sic animum criminibus sauciari. His imago divinitatis aut corrumpitur, aut aboletur: inurit has maculas scelus, pœnitentia corrigit, & emundat. Unum inter hæc peccantibus solatum, quod etiam cæsurae & anguli gemmarum sœpe claritatem excitent, neq; sinant, ut *Plinius* loquitur, *colores surdescere*. Pretiosiores gemmæ à sectionibus fiunt, & corda afficta pulvere, dolore contrita & secca, in oculis divinitatis sunt gratiora. Quoties pœnitentiâ politus homo sese convertit ad DEVM, Deus faciem suam convertit ad hominem; nec Deus potest amari toto & mundo corde, *Zechar. 1.* quin redamet: *convertimini, & ego convertar.* Sunt igitur verè Beati mundo corde, quoniam *DEVM* ipsi videbunt.

VII. COE-